

www.e-rara.ch

Epistolarum familiarium M. T. Ciceronis libri XVI

Cicero, Marcus Tullius

Tiguri, anno 1563

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: AW 794

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-4914>

M. T. Ciceronis epistolarum familiarum lib. quartus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

M. T. CICERONIS

EPISTOLARVM FA-

MILIARVM LIB.

QUARTVS.

Suasoria est epistola, ut Seruius omnem curam iuandæ Reipublicæ deponat.

M. T. Cicero, Seruio Sulpitio S. P. D. 43.



Aius Trebati^{us} familiaris meus, ad me scripsit, te ex se quæsisse, quibus in locis essem, molesteq; ferre, quod me propter ualeitudinem tuam, cum ad urbem accessissem, nō uidisses: et hoc tēpore uel le te mecum, si propius accessissem, de officio utriusque nostrum communicare. Vtinam Serui, saluis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos: profectō aliquid opis occidenti Reip. tulissemus. Cognoram enim iam absens, te hæc mala multō antè prouidentem defensorem pacis & in consulatione tuo, & post consulatum fuisse. Ego autē, quum consilium tuum probarem, & idem ipse sentirem, nihil proficiebam. Serō enim ueneram: solus eram: rudis esse uidebar in causa: incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias. Nunc, quoniam nihil iam uidemur posse opitulari Reipub. si quid est, in quo nobismetipsis consulere possimus, non

Deliberatiua est epistola.

A narratiua cula exorditur.

Respondet narrationi.

Propositio Aetiologia est à prouidentia & studio pacis. Cur nihil suo cōsilio proficere potuerit. Promittit Sulpitio colloquiū, si id modo

ad rē quid
faciat.

Cur nō scri-
pserit Sul-
pitio, fru-
stra eum in
Senatum
uenturum.

A statu Rei
pub. often-
dit inutile
eorum col-
loquium
fore.

Epitogus.

ut aliquid ex pristino statu nostro retineamus, sed
ut quam honestissimè lugeamus: nemo est omnium,
qui cum potius mihi, quàm tecum communicandum
putem. Nec enim clarissimorum uirorum, quorum
similes esse debemus, exempla: neque doctissimo-
rum, quos semper coluisti, præcepta te fugiunt. At-
que ipse antea ad te scripsissem, te frustra in Sena-
tum, siue potius in conuentum Senatorum esse uen-
turum, ni ueritus essem, ne eius animum offenderem,
qui à me, ut te imitarer, petebat: cui quidem ego,
cùm me rogaret, ut adessem in Senatu, eadem omnia,
quæ ad te de pace, & de Hispanis dicta sunt, ostendi
me esse dicturum. Rem uides quomodo se habeat: or-
bem terrarum imperijs distributis ardere bello: ur-
bem sine legibus, sine iudicijs, sine iure, sine fide re-
lictam direptioni & incendijs. Itaque mihi uenire
in mentem nihil potest, non modò quid sperem, sed
uix iam quid audeam optare. Sin autem tibi homini
prudentissimo uidetur utile esse nos colloqui: quan-
quam longius etiam cogitabam ab urbe discedere,
cuius iam etiam nomen inuitus audio: tamen pro-
pius accedam. Trebatio mandauit, si quid tu eum
uelles ad me mittere, ne recusaret: idq; ut facias
uelim: aut si quem tuorum fidelium uoles, ad me
mittas, ne aut tibi exire ex urbe necesse sit, aut mi-
hi accedere. Ego tibi tantum tribuo, quantum mi-
hi fortasse arrogo, ut exploratum habeam, quic-
quid nos communi sententia statuerimus, id omneis
homines probaturos. Vale.

Confu-

Consulit Seruio ut ab urbe discedat.

M. T. Cicero, Seruio Sulpitio S. P. D. 44.

AD III. Calend. Maias cum essem in Cumano Deliberati-
ua est epi-
stola.
A narratio
ne exordiū
est ductum.
Accepi tuas literas: quibus lectis, cognoui, non
satis prudenter fecisse Philotimum, qui quum abs te
mandatum haberet, ut scribis, de omnibus rebus, ipse
ad me non uenisset, literas tuas misisset: quas intelle-
xi breuiores fuisse, quod eum perlaturum putasses. Propositio.
Sed tamen, postquam literas tuas legi, Posthumia tua
me conuenit, & Seruius noster: his placuit, ut tu in
Cumanum uenires: qui etiam mecum, ut ad te scri-
berem, egerunt. Quod meum consilium exquiris,
id est tale, ut capere facilius ipse possim, quam alte-
ri dare. Quid enim est, quod audeam suadere tibi,
homini summa autoritate, summaq; prudentia? Si,
quid rectissimum sit, querimus: perspicuum est. Si,
quid maximè expediat: obscurum est. Sin hi sumus,
qui profectò esse debemus, ut nihil arbitremur expe-
dire, nisi quod rectum honestumq; sit: non potest es-
se dubium, quid faciendum nobis sit. Quod existimas
meam causam coniunctam esse cum tua: certè simi-
lis in utroque nostram, cum optimè semiremus, er-
ror fuit. Nam omnia utriusque consilia ad concor-
diam spectauerunt, qua cum ipsi Caesari nihil esset
utilius, gratiam quoque nos inire ab eo, defendenda
pace arbitrabantur. Quantum nos fefellerit, &
quem in locum res deducta sit, uides: neq; solū ea per-
spicis, quæ geruntur, quæq; iam gesta sunt: sed etiam Pub.

Reiectio 2
persona
Sulpitij.

A diuisione
colligit.

A iure bel-
li & Poma-
peij & Cæ-
saris disse-
rit.
A Cæsaris
persona.

A statu Rei
Pub.

Cōsultatio
de loco, in
quem disce
dendum sit
per suspen
sionem.

Dilemma.

Conclusio
ab horta
tione.

qui cursus rerum, qui exitus futurus sit. Ergo aut probare oportet ea, quæ fiunt: aut interesse, etiam si non probes: quarū altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio uidetur. Restat, ut discedendum putem: in quo reliqua uidetur esse deliberatio, quod cōsiliū in discessu, quæ loca sequamur. Omnino quum inferior res nunquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior. Nihil enim constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. Tu, si uidebitur, ita censeo facias, ut si habes iam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit coniunctum consilium meum cum tuo, super sedes hoc labore itineris: sin est quod mecum communicare uelis, ego te expectabo. Tu, quod tuo commodo fiat, quā primum uelim uenias, sicut intellexi & Seruio & Postūmiæ placere. Vale.

Conquestio de iniuria suorum temporum: mox consolatio à recta conscientia, & bonarum artium studio. Postremò filij commendatio.

M. T. Cicero Seruio Sulpitio S. P. D. 45.

Epistola
est consolatoria.

A dolore
beneuolentiam capiat.

Propositio.

Vehementer te esse sollicitum, & in communibus miserijs præcipuo quodam dolore angī, multi ad nos quotidie deferunt. Quod quamquam minimè miror, & meum quodammodo agnosco: doleo tamen, te sapiētia præditum propè singulari, non tuis bonis delectari potiùs, quā alienis malis laborare. Me quidem, etsi nemini concedo, qui maiore

rem

rem ex perniciē & peste Reip. molestiam traxerit:
 tamen multa iam consolamur, maximeq; conscien-
 tia consiliorum meorum. Multo enim ante, tanquam
 ex aliqua specula prospexi tempestatem futurā, neq;
 id solum mea sponte, sed multo etiam magis monen-
 te & denunciante te. Etsi enim absui magnam par-
 tem Consulatus tui: tamen & absens cognoscebam,
 quæ esset tua in hoc pestifero bello cauendo & præ-
 dicendo sententia: & ipse absui primis temporibus
 tui Cōsulatus, cum accuratissimè monuisti Senatum,
 collectis omnibus bellis ciuilibus, ut & illa timerent,
 quæ meminissent, & scirent, quum superiores, nullo
 tali exemplo antea in Republica cognito, tam crude-
 les fuissent: quicunque postea Remp. oppressisset ar-
 mis, multo intolerabiliorem futurū. Nam quod exem-
 plo fit, id etiam iure fieri putant. Sed aliquid, atque
 adeo multa addunt, & asserunt de suo. Quare me-
 minisse debes eos, qui auctoritatem & consiliū tuum
 non sunt secuti, sua stultitia occidisse, cum tua pru-
 dentia salui esse potuissent. Dices, quid me ista res cō-
 solatur in tantis tenebris, & quasi perpetuis Reipub-
 lica? Est omnino uix cōsolabilis dolor, tanta est om-
 nium rerum amissio, & desperatio recuperandi. Sed
 tamen & Cæsar ipse ita de te iudicat, & omnes ci-
 ues sic existimant, quasi lumen aliquod, extinctis cæ-
 teris, elucere sanctitatem & prudentiam, & digni-
 tatem tuam. Hæc tibi ad leuandas molestias, magna
 esse debent. Quod autem à tuis abes, ideo leuius fe-
 rendum est, quod eodem tempore à multis ac magnis

A conscien-
 tia cōsilio-
 rum conso-
 latur & se
 & Sulpitiū

Occupatio
 obiectionis

Narrat sen-
 tētiā Sul-
 pitij de bel-
 lo ciuili.

Prolepsis.

A iudicio
 Cæsarīs &
 aliorum de
 Sulpitio.

Occupatio
 obiectionis.

Ab utili.

molestijs abes : quas ad te omneis perscriberem , nisi uererer , ne ea cognosceres absens : quæ quia non uides , mihi uideris meliore esse conditione , quàm nos qui uidemus . Hactenus existimo nostram consolationem rectè adhibitam esse , quoad certior ab homine amicissimo fieres ijs de rebus , quibus leuari possent molestiæ tuæ . Reliqua sunt in teipso , neque mihi ignota , nec minima solatia , & (ut ego quidem sentio) multò maxima : quæ ego ipse experiens quotidie sic

A studijs liberarum Sulpitium consolatur.

Oblique hortatur Sulpitium , ut bonis literis scientiæ se consoleretur . Conclusio est à commendatione Seruij filij Sulpitij.

probo , ut ea mihi salutem afferre uideantur . Te autem ab initio ætatis memoria teneo summè omnium doctrinarum studiosum fuisse , omniaq; , quæ à sapientissimis ad benè uiuendum tradita essent , summo studio curaq; didicisse . Quæ quidem , uel optimis rebus , & usui & delectationi esse possent . His uerò temporibus habemus aliud nihil , in quo acquiescamus . Nihil faciam insolenter , neque te tali uel scientia , uel natura præditum hortabor , ut ad eas te referas artes , quibus à primis temporibus ætatis studium tuum dedisti . Tantum dicam , quod te spero approbaturum , me posteaquam illi arti , cui studueram , nihil esse loci , neq; in curia , neque in foro uiderem , omnem meam curam atque operam ad philosophiam contulisse . Tuæ scientiæ excellēti ac singulari , non multò plus quàm nostræ relictum est loci . Quare non equidem te moneo , sed mihi ita persuasi , te quoq; in ijsdem uersari rebus , quæ etiam si minus prodesse , animum tamē à solitudine abducerent . Seruius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus , imprimisq; in hac , in qua
ego

ego me scripsi acquiescere, ita uersatur, ut excellat. A me uerò sic diligitur, ut tibi uni cōcedam, præter ea nemini: mihiq; ab eo gratia refertur: in quo ille existimat, * quod facile apparet, quum me colat & obseruet, tibi quoq; in eo se facere gratissimū. Vale.

* cum habet Longo
lij codex.

Respondet excusationi Seruij, & illius negotium præ suo extollit. Narrat item qua ratiōe in pristinum locum per Cæsaris beneficia Marcellum restituerit. Postremò & Seruij filij illius eruditionem & probitatem laudat. Itaque mixta est epistola.

M. T. Cicero, Seruio Sulpitio S. P. D. 46.

Accipio excusationem tuam, qua usus es, cur sepius ad me literas uno exemplo dedisses. Sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia, aut improbitate eorum, qui epistolas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate (sic enim appellas) ijsdem uerbis epistolas sepius mittere, nec agnosco, nec probo. Et ego ipse, quē tu per iocum (sic enim accipio) diuitias orationis habere dicis, me non esse uerborum admodū inopem cognosco. *ἐπὶ τῶν λόγων* enim non necesse est, sed tamen idem: neque hoc *ἐπὶ τῶν λόγων*, facile cedo tuorum scriptorum subtilitati, & elegantiae. Consilium tuum, quo te usum scribis hoc Achaicum negotium non recusauisse, cum semper probauissem, tum multò magis probaui, lectis tuis proximis literis. Omnes enim causae, quas commemoras, iustissimae sunt, tuaq; & autoritate & pru-

Exorditur ab ostensione, quatenus accipiat excusationem Sulpitij referētis Ciceroni, cur eodē exemplo semper per epistolas scriberet.

Cicero probat consilium Sulpitij, de suscipienda provincia Achaica.

Negat Cice-
ro aliter ac
cidisse, atq;
opinatus
est.

demia dignissimæ: Quòd aliter cecidisse rem existi-
mas, atque opinatus sis, id tibi nullo modo assenior.
Sed quia tanta perturbatio & confusio rerum est,
ita percussa & prostrata fœdissimo bello iacent om-
nia, ut is cuique locus, ubi ipse sit, miserrimus esse ui-
deatur: propterea, & te tui consilij pœnitet, & nos
qui domi sumus, tibi beati uidemur. At contra, nobis
non tu quidem molestijs uacuus, sed præ nobis bea-
tus: atque hoc ipso melior est tua, quàm nostra condi-
tio, quòd tu quid doleas, scribere audes: nos ne id qui-
dem tutò possumus: nec id uictoris uicio, quo nihil
moderatiùs, sed ipsius uictoriæ, quæ ciuilibus bellis

Laudat re-
stitutionem
Marcelli
ab exilio.

semper est insolens. Vno te uicimus, quod de Mar-
celli collega tui salute paulò antè quàm tu cognoui-
mus, etiam me herculè, quod quemadmodum ea res
ageretur, uidimus. Nam sic fac existimes, post has mi-
serias, id est, postquàm armis disceptari cœptum est
de iure publico, nihil esse actum aliud cum dignita-

De Cæsare
narratio.

te. Nam & ipse Cæsar accusata acerbitate Marcelli
(sic enim appellabat) laudatq; honorificentissimè
& æquitate tua, & prudentia, repentè præter spem
dixit, se Senatui rogati de Marcello, ne hominis qui-
dem causa negaturum. Fecerat autem hoc Senatus,
ut cum à L. Pisone mentio esset facta de Marcello,
& cum C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abiecisset,
cunctus consurgeret, & ad Cæsarem supplex acce-
deret. Noli querere: ita mihi pulcher hic dies uisus
est, ut speciem aliquam uiderer uidere, quasi reui-
uiscemis Reipu. Itaque cum omnes antè me rogati,
gratias

gratias Cæsari egissent, præter Volcatium: is enim si
 eo loco esset, negauit se facturū fuisse: ego rogatus, Cur muta-
rit consiliū.
 mutauit consilium meū. Nam statueram non me her-
 culē inertia, sed desiderio pristinae dignitatis in per-
 petuum tacere. Fregit hoc meum consilium, & Cæ-
 sari magnitudo animi, & Senatus officium. Itaque In publico
dicere uelle
 plurib. uerbis egi Cæsari gratias: meq; metuo, ne
 etiam in cæteris rebus honesto ocio priuarim, quod
 erat unicum solatium in malis. Sed tamen quoniam
 effugi eius offensionem, qui fortasse arbitraretur me
 hanc Rempu. non putare, si perpetuò tacerem: mo-
 dicè hoc faciam, aut etiam intra modum, ut & illius Intra modū
id est, mi-
nus quā
modicè.
 uoluntati, & meis studijs seruiam. Tamen si à prima
 etate me omnis ars, & doctrina liberalis, & maxi-
 mē philosophia delectauit: tamen hoc studium quo-
 tidie ingrauescit, credo & ætatis maturitate ad pru-
 dentiam, & his temporum uicijs, ut nulla res alia le-
 uare animum molestijs possit. A quo studio te abduci
 negocijs, intelligo ex tuis literis: sed tamen aliquid
 iam noctes te adiuuabunt. Seruius tuus, uel potius Laudat Ser-
uium.
 noster, summa me obseruantia colit: cuius ego cum
 omni probitate, summaq; uirtute, tum studijs, doctri-
 naq; delector: is mecum sæpè de tua mansione, aut
 decessione communicat. Adhuc in hac sum semētia, Consilium
Ciceronis.
 nihil ut faciamus, nisi quod maximè Cæsar uelle ui-
 deatur. Res sunt eiusmodi, ut si Romæ sis, nihil præ-
 ter tuos delectare te possit. De reliquis nihil melius
 ipso est. Cæteri, & cætera eiusmodi, ut si alterutrum
 necesse sit, audire ea malis, quā uidere. Hoc nostrū

consilium nobis minimè iucundum est, qui te uidere cupimus: sed consulimus tibi. Vale.

Perfectum consolationis exemplum est ista epistola, eiusce modi argumentis instructa, ut nō solum dolorē, luctus quoslibet lenire, sed & planè tollere possit.

Seruius Sulpitius Ciceroni S. P. D. 47.

Consolatoria epistola.

Captat beneuolentiam à molestia, quam accipit ex obitu filiae Ciceronis. A suo officio captat beneuolentiam.

Correctio per extenuationem.

A maiorum consuetudine.

Occupatio obiectionis

POSTEAQUÀ mihi renunciatum est de obitu Tulliae filiae tuae, sanè quàm pro eo, ac debui, grauius ter molesteq; tuli, communemq; eam calamitatē existimaui. Qui si istic affuissem, neque tibi de fuissem, coramq; meum dolorem tibi declarassem. Et si genus hoc consolationis miserum atque acerbum est, propterea quia per quos ea fieri debent, propinquos ac familiareis, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lachrymis multis id conari possunt, ut magis ipsi uideantur aliorum consolatione indigere, quàm alijs posse suum officium præstare: tamen quæ in præsentia mihi in mentē uenerunt, decreui breui ad te perscribere: non quòd ea te fugere existimem, sed quòd forsità dolore impeditus, minus ea perspicias. Quid est quod tanto operè te commoueat tuus dolor intestinus? Cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit, ea nobis erepta esse, quæ hominibus non minus, quàm liberi, chara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incōmodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit? Aut quid nō in illis rebus exercitatus animus iam callere debet, atque

atque omnia minoris aestimare? An illius uicem, credo, doles? Quoties in eam cogitationem necesse est & tu ueneris, & nos sæpè incidamus, hisce temporibus non pessimè cum ijs esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum uita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad uiuendum magis inuitare posset? quæ res? quæ spes? quod animi solatium? Vt cū aliquo adolescente primario coniuncta etatem ageret? Licitum est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuuentute generum deligere, cuius fidei liberos tuos te tutò committere putares? An ut ea liberos ex sese pareret, quos cū florentes uideret, letaretur: qui rem à parente traditam per se tenere possent: honores ordinatim in Rep. petaturi essent: in amicorū negocijs & liberalitate sua uterentur? Quid horum fuit, quod non prius, quàm datum est, ademptum sit? At uerò malum est liberos amittere. Malū: nisi hoc peius sit, hæc sufferre & perpeti. Quæ res non mediocrem mihi cōsolationem attulit, uolo tibi commemorare, si fortè eadem res tibi dolorem minuere posset. Ex Asia rediens cum ab Aegina Megaram uersus nauigare, coepi regiones circum circa prospicere: post me erat Aegina, ante Megara, dextra Pyraeus, sinistra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem nos homūculi indignamur, si quis nostrum interierit, aut occisus est, quorum uita breuior esse debet, quum uno loco tot oppidorum cada-

A temporū
confusione.

Alia occupa-
tio.

A iuuentu-
tis corrup-
tis morib.
Alia occupa-
tio.

† libertate.
A rerum
istarum frui-
tione præ-
terita.
Alia occupa-
tio.

Narratio
est.

Aptè expri-
mit sermo-
nē cogitan-
tis.

A maiore
ad minus.

A mortis
necessitate.

A tempore
quanto &
quàm florē
te uixit.

A persona
Ciceronis.

A simili.

A defectus
admisceat.

Ab obtesta
tione.

uera proiecta iaceant? Visne tu te Serui cohibere,
& meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi,
cogitatione ea non mediocriter sum cōfirmatus. Hoc
idem, si tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas.
Modò uno tempore tot uiri clarissimi interierūt. De
imperio præterea tanta diminutio facta est: omnes
provinciae conquassatae sunt: in unius mulierculæ ani
mula si iactura facta est, tam operè commoueris? quæ
si non hoc tempore diem suum obijisset, paucis post
annis tamen ei moriendum fuit: quoniam homo na
ta fuerat. Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogita
tionem tuam auoca, atq; ea potiùs reminiscere, quæ
digna tua persona sunt: illam, quādiu ei opus fuerat,
uixisse, unā cum Rep. fuisse: te patrem suum, Præto
rem, Consulem, Augurem uidisse: adolescentibus pri
marijs nuptam fuisse: omnibus bonis propè perfun
ctam esse: cūm Respublica occideret, uita excessisse.
Quid est quod tu, aut illa, cum fortuna hoc nomine
queri possitis? Denique noli te obliuisci Ciceronem
esse, & eum, qui alijs consueueris præcipere, & da
re consilium: neque imitare malos medicos, qui in a
lienis morbis profitentur se tenere medicinae scien
tiam, ipsi se curare non possunt: sed potiùs, quæ alijs
tute præcipere soles, ea tute tibi subijce, atque apud
animum propone. NVLLVS DOLOR EST,
quem longinquitas temporis non minuatur atque mol
liat. Hoc te expectare tempus, tibi turpe est, ac non
ei rei sapientia tua te occurrere. Quòd si quis etiam
inferis sensus est, qui illius in te amor fuit, pietasq; in
omnibus

omneis suos, hoc certè illa te facere non uult. Da hoc illi mortuæ, da cæteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore mœrēt: da patriæ, ut si qua in re opus sit, opera & consilio uti tuo possit. Deniq; quoniam in eam fortunam deuenimus, ut etiã huic rei nobis seruiendum sit: noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quàm Reipublicæ tempora, & aliorum uictoriam lugere. Plura me ad te hac de re scribere pudet, ne uidear prudentiæ tuæ diffidere.

Correctio.

Quare si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrimè te ferre fortunam, magnamq; ex ea re te laudè adipisci.

A secunda fortuna.

fac aliquando intelligamus aduersam quoq; te æquè ferre posse: neque id maius, quàm debeat, tibi onus uideri: ne ex omnibus uirtutibus hæc una uideatur tibi deesse. Quod ad me attinet, cùm te tranquilliori animo esse cognouero, de ijs rebus, quæ hîc geruntur, quemadmodumq; prouincia se habeat, certioram faciam. Vale.

Ab honesto

Conclusio.

Quamuis Seruij consolationem acceperit, reddit tamen alias causas, ut doloribus cedat.

M. T. Cicero, Seruio Sulpitio S. P. D. 48.

EGo uerò Serui uellem, ut scribis, in meo grauissi-
mo casu affuisses. Quântum enim præsens me ad
iuuare potueris, & consolando, & propè æquè do-
lendo, facîle ex eo intelligo quod literis tuis lectis ali-
quantum acquieui. Nam ea scripsisti, quæ leuare lu-
ctum possent: & in me consolando non mediocrem

Responso-
ria ad cōso-
latorium.
Exorditur
ab affectu
consolatio-
nis Sulpitij

Prædicat
officia Ser-
uij.

Ab autori-
tate Sulpi-
tij.

Ab exēplo
rum dissimilitudine.

Offendit e-
xemplorū
dissimilitu-
dinem cum
amplifica-
tione bono-
rum, quæ in
morte Tul-
liæ amisit.

ipse animi dolorem adhibuisti. Seruius tamen tuus omnibus officijs, quæ illi tempori tribui potuerunt, declarauit: & quāti ipse me faceret, & quā suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cuius officia iucūdiora scilicet sæpè mihi fuerunt, nunquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solum, & societas penè egritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. Turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meū, ut tu tali sapientia præditus, ferendum putas. Sed opprimor interdū & uix resisto dolori, quòd ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna nō defuerunt. Nam & Q. Maximus, qui filium cōsulare clarum uirum, & magnis rebus gestis amisit: & L. Paulus, qui duos septem diebus: & uester Gallus, & M. Cato, qui summo ingenio, summa uirtute filium perdidit, ijs temporibus fuerunt, ut eos tamen ipso- rum dignitas consolaretur ea, quam ex Rep. consequebantur. Mihi autem amissis ornamentis ijs, quæ ipse commemoras, quæq; eram maximis laboribus adeptus, unū manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negocijs, nō Reip. procuratione impediabantur cogitationes meæ: nihil in foro agere licebat: aspicere curiam non poteram: existimabā, id quod erat, omneis me & industriæ meæ fructus, & fortunæ perdidisse. Sed quū cogitarem hæc mihi tecum, & cum quibusdam esse communia, & quum frangerem iam ipse me, cogeremq; illa ferre toleranter: habebam quò confugerem, ubi conquiescerem, cuius

cuius in sermone et suauitate omneis curas doloresq;
deponerem. Nunc autem hoc tam graui uulnere, etiā
illa quæ consenuisse uidebantur, recrudescunt. Non
enim ut tum me à Repu. mœstum domus excipiebat,
quæ leuaret: sic nunc domo mœrens ad Remp. confu-
gere possum, ut in eius bonis acquiescam. Itaque &
domo abssum, & foro, quòd nec eum dolorem, quem è
Repub. capio, domus iam consolari potest, nec dome-
sticum Resp. Quò magis te expecto, teq; uidere quā
primum cupio. Maior mihi † ratio afferri nulla po-
test, quàm coniunctio consuetudinis, sermonumq; no-
strorum: quanquam sperabam tuum aduentum (sic
enim audiebam) appropinquare. Ego autem quum
multis de causis te exopto quā primum uidere: tum
etiam, ut ante commentemur inter nos, quæ ratione
traducendum nobis sit hoc tempus, quod est totum
ad unius uoluntatem accommodandum, & pruden-
tis & liberalis, & (ut perspexisse uideor) nec à me
alieni, & tibi amicissimi. Quod quum ita sit, magnæ
tamen est deliberationis, quæ ratio sit ineunda nobis
non agendi aliquid, sed illius concessu & beneficio
quiescendi. Vale.

† leuatio, le-
gitur in cas-
tigatissi-
mis, quā di-
ctione usur-
pauit & in
oratiōibus.

Cur Sulpi-
tium deside-
ret.

Suadet Marcello ut relicta sua sententia, qua perpetuum
exilium sibi decreuerat, Romam redeat, & Cæsaris humani-
tate fruatur.

M. T. Cicero M. Marcello S. P. D. 49.

ET si eo te adhuc usum consilio intelligo, ut id res
prehendere non audeam, non quia ab eo ipse dis-
sentiam, sed quòd te ea sapientia esse iudicem, ut

Suasoria
epistola.

Exorditur
à laude pru-

dentia &
cōsiliij Mar-
celli, quod
honestū qui-
dem esse dis-
cit, sed ut iā
tēpora qui-
dem sunt,
mutandum.

† nobis.

Aliorū cō-
siliū de bel-
lo ciuili.

meum consilium non anteponam tuo: tamen & ami-
citiae nostrae uetustas, & tua summa erga me beneuo-
lentia, quae mihi iam à pueritia cognita est, me hor-
tata est, ut ea scriberem ad te, quae & saluti tuae con-
ducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à di-
gnitate. Ego eum te esse, qui horum malorum initia
multo antè uideris, qui Consulatum magnificentissi-
mè atque optimè gesseris, praeclare memini: sed idem
etiam illa uidi, neque te consilium ciuilis belli ita ge-
rendi, neque copias Cnei Pompeij, nec genus exerci-
tus probare, semperq; summè diffidere: qua in sen-
tentia me quoq; fuisse memoria tenere te arbitror. I-
taque neq; tu multum interfuisti rebus gerendis, &
ego id semper egi, ne interessem. Non enim ijs rebus
pugnabamus, quibus ualere poteramus, consilio, au-
toritate, causa, quae erant in t̄ rebus superiora: sed la-
certis & uiribus, quibus pares non eramus. Victi su-
mus igitur: aut si uinci dignitas non potest, fracti cer-
tè & abiecti. In quo tuum consilium nemo potest,
non maximè laudare, quòd cum spe uincendi simul
abiecisti certandi etiam cupiditatem: ostendistiq; sa-
pientem & bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum
suscipere, extrema non libenter persequi. Qui non
idem cōsiliū quod tu, sequuti sunt, eos uideo in duo
genera esse distractos: aut enim renouare bellum co-
nati sunt, & hi se in Aphricam cōtulerunt: aut quē-
admodum nos, uictori sese crediderunt. Mediū quod
dam tuum consilium fuit, qui hoc fortasse humilis ani-
mi duceres, illud pertinacis. Fateor à plerisq; uel di-
cam

cam ab omnibus, sapiens tuum consilium: à multis etiam magni ac fortis animi iudicatum. Sed habet ista ratio (ut mihi quidem uidetur) quēdam modum, præsertim quum tibi nihil deesse arbitrer ad tuas fortunas omneis obtinendas, præter uoluntatem. Sic enim intellexi nihil aliud esse, quod dubitationem afferat ei, penes quem est potestas, nisi quod uereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. De quo quid sentiam, nihil attinet dicere, quū appareat, ipse quid fecerim. Sed tamen si iam ea constituissem, ut abesse perpetuo mallet, quā ea quæ nolles, uidere: tamen id cogitare deberes, ubicunque esses te fore in eius ipsius, quem fugeres potestate. Qui si facile passurus esset, te carentē patria & fortunis tuis quietē & liberē uiuere, cogitandum tibi tamen esset, Romæne & domi tuæ, cuiusmodi res esset, an Mitylenis, aut Rhodi mallet uiuere. Sed cum ita latē pateat eius potestas, quem ueremur, ut terrarum orbem complexa sit: nonne mauis sine periculo domi tuæ esse, quā cum periculo alienæ? Equidem etiam si oppetenda mors esset, domi atq; in patria mallet, quā in externis atque alienis locis. Hoc idem omnes qui te diligunt, sentiunt, quorum est magna pro tuis maximis clarissimisque uirtutibus multitudo. Habemus etiam rationem rei familiaris tuæ, quam dissipari nolumus. Nam etsi nullam potest accipere iniuriā, quæ futura perpetua sit: propterea, quod neq; is qui tenet Rem publicam patietur, neque ipsa Resp. tamen impetum prædonum in tuas fortunas fieri nolo. Si autem qui es

Suadet ut
mutet consi-
lium de nō
repetenda
Roma.

A uolunta-
te Cæsaris.

Ab ineffugi-
bili potesta-
te Cæsaris.

A minore
periculo.
A patriæ
amore.

A cōmuni
sententia
amicorum
Marcelli.

sent auderem scribere, nisi te intelligere considerem.

Hic te unius solitudines, unius etiam multæ & assidue lachrymæ C. Marcelli fratris optimi deprecantur: nos cura & dolore proximi sumus: precibus apud Cæsarem tardiores, quod ius adeundi, quum ipsi deprecatione eguerimus, non habemus. Gratia tantum possumus, quatum uicti. Sed tamen consilio, studio, Marcello non desumus. A tuis, reliquis non adhibemur: ad omnia parati sumus. Vale.

A fratris assidua deprecatione.

† deprecatore.

Iterum suadet ut mutata sententia in patriam reuertatur, idque propter temporum & loci conditionem, & Cæsaris erga bonos uiros uoluntatem.

M. T. Cicero, M. Marcello S. P. D. 50.

Suasoria est seu hortatoria epistola.

Ab insinuatione exorditur.

Hortatur Marcellum, ut in patriam redire uelit. Ab hominum iudicio.

NEque monere te audeo, præstanti prudentia uirum: nec confirmare maximi animi hominem, uirumque fortissimum: consolari uero nullo modo. Nam si ea, quæ acciderunt ita fers, ut audio, gratulari magis uirtuti debeo, quam consolari dolorem tuum: sin te tanta mala Reipublicæ frangunt, non ita abundo ingenio, ut te consoler, cum ipse me non possim. Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re cum præbeam, præstetque, ut ad omnia quæ tui uelint, ita sim præsto, ut me non solum omnia debere tua causa, sed ea quoque quæ non possum, putent. Illud tamen uel tu me monuisse, uel censuisse puta, uel propter beneuolentiam tacere non potuisse, ut quod ego facio, tu quoque animum inducas, si sit aliqua Respublica in ea te esse oportere iudicio hominum, teque principem necessitate cedentem

dentem tempori: sin autē nulla sit, hunc tamen aptis-
 simum esse etiam ad exulandum locum. Si enim liber
 tatem sequimur, qui locus hoc dominatu uacat? sin
 qualemcunque locum, qui est domestica sede iucun-
 dior? Sed mihi crede, etiam is qui omnia tenet, fauet
 ingenijs: nobilitatem uerò & dignitatem hominum,
 quantum ei res & ipsius causa concedit, amplecti-
 tur. Sed plura quàm statueram. Redeo ergo ad unum
 illud: me tuum fore cum tuis, si modò erunt tui: si mi-
 nus, me certē in omnibus rebus satis nostræ coniun-
 ctioni, amoriq; facturum. Vale.

A tēpore.
 Aloci oportunitate.

A Cæsaribus
 fauore erga
 ingeniosos.

Conclusio.

Eiusdem est argumenti cum superioribus duabus: in hac
 tamen efficaciora & magis urgentia argumenta sunt, ut pro-
 pemodum M. Marcellum redire cogat.

M. T. Cicero, M. Marcello S. P. D. 51.

ET si per paucis antè diebus dederam Q. Mutio li-
 teras ad te pluribus uerbis scriptas, quibus decla-
 raueram, quo te animo censerem esse oportere, &
 quid tibi faciendum arbitrarer: tamen cum Theophi-
 lus libertus tuus proficisceretur, cuius ego fidē erga
 te, beneuolentiamq; perspexeram, sine meis literis
 eum ad te uenire nolui. Iisdem igitur de rebus etiam
 atque etiam hortor, quibus superioribus literis hor-
 tatus sum, ut in ea Rep. quæcunque est, quàm primū
 uelis esse. Multa uidebis fortasse, quæ nolis: nō plura
 tamen, quàm audis quotidie. Non est porrò tuū uno
 sensu solum oculorum moueri, cū illud idem auri-
 bus percipias, quod etiam maius uideri solet, minus

Hortatoria
 est epistola.
 Exorditur
 à persona
 Theophili
 liberti, cu-
 ius gratia
 motus sit ad
 has scriben-
 das literas.

Occupatio
 obiectiōis.

Occupatio
aliorum ob
jectionum.

Pompeium
intelligit.
Confirma-
tio à pari.

A maiore
ad minus.

A natura
bellorum ci
uiliū.

Alia occu-
pationis ob-
jectionis.

Ab officio
prudētis.

laborare. At tibi ipsi dicendum erit aliquid, quod nō
semias: aut faciendum, quod non probes. Primū tem-
pori cedere, id est, necessitati parere, semper sapien-
tis est habitum: deinde nō habet, ut nunc quidem est,
id uicij res. Dicere fortasse quæ semias non licet, ta-
cere planè licet. Omnia enim delata ad unum sunt: is
utitur cōsilio ne suorum quidem, sed suo. Quod non
multò secus fieret, si is Rempu. teneret, quem secuti
sumus. An qui in bello, cū omnium nostrū coniu-
ctum esset periculum suo, certorum hominum mini-
mè prudentium cōsilio. uteretur: eum magis commu-
nem censemus in uictoria futurum fuisse, quàm cate-
ris in rebus fuisset? Et qui nec te consule tuum sapien-
tissimum consilium secutus esset, nec fratre tuo con-
sulatum ex autoritate tua gerente, nobis autoribus
uti uoluerit: nunc omnia tenentem nostras senten-
tias desideraturum censes fuisse? omnia sunt misera
in bellis ciuilibus, quæ maiores nostri ne semel qui-
dem, nostra ætas sæpè iam sensit: sed miseriùs nihil
quàm ipsa uictoria, quæ etiam si ad meliores uenit, ta-
men eos ipsos ferociiores, impotentioresq; reddit, ut
etiā si natura tales non sint, necessitate esse cogātur,
Multa enim uictori, eorum arbitrio, per quos uicit,
etiam inuito facienda sunt. An tu non uidebas mecū
simul, quā illa credulis esset futura uictoria? Igitur
tū quoq; careres patria, ne, quæ nollēs, uiderēs? Non
inquires: ego enim ipse tenerē opes & dignitatem me-
am. At erat tuæ uirtutis in minimis tuas res ponere,
de Rep. uehemētius laborare. Deinde, qui finis istius
consilij

consilij est: Nā adhuc & factum tuum probatur, & ut in tali re, etiam fortuna laudatur. Factū, quod & initium belli necessario secutus sis, & extrema sapienter persequi nolueris: fortuna, quod honesto ocio tenueris & statum, & famam dignitatis tuæ. Nunc uerò nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria: nec eam diligere minus debes, quod deformior est, sed misereri potius: nec eam multis claris uiris orbatam, priuare etiam aspectu tuo. Deniq; si fuit magni animi, non * isse supplicem uictori, uide ne superbi sit aspernari eiusdem liberalitatem. Et si sapientis est, carere patria: duri, nō desiderare: etsi Rep. non possis frui, stultum est nolle priuata. Caput illud est, ut si ista uita tibi commodior esse uideatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. Magna gladiatorum est licentia, sed in externis locis minor etiam ad facinus uerecundia. Mihi salus tua tantæ curæ est, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certè proximus sim. Tuum est consulere temporibus, & incolumitati, & uitæ & fortunis tuis. Vale.

niri &
Reip. studio.

A charitate quam de beat patriæ.

* esse
Anthypophora.

Conclusio.

Eiusdem est argumenti.

M. T. Cicero M. Marcello S. P. D. 52.

ET si nihil noui, quod ad te scriberem, habebam, magisq; literas tuas iam expectare incipiebam, uel te potius ipsum: tamen cum Theophilus proficisceretur, nō potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, ut quā primum uenias: uenies enim, crede mi-

Hortatoria est epistola.

A persona Theophili tabellionis.

est ductum
exordium.

A molestia
audiendi
mala, quæ
non minus
acerba sit,
quàm ui-
dendi.

Conclusio.

hi, expectatus, neque solum nobis, id est, tuis, sed
prorsus omnibus. Venit enim mihi in mentem, subue-
neri interdum, ne te delectet tarda decessio. Quod
si nullum sensum haberes, nisi oculorum, prorsus ti-
bi ignoscerem, si quosdam nolles uidere. Sed quum
leuiores non multo essent quæ audirentur, quàm quæ
uiderentur: suspicarer autem multum interesse rei
familiaris tuæ, te quàm primum uenire, atque in om-
nibus partibus ualere: putavi ea de re te esse admonen-
dum. Sed quoniam quod mihi placeret, ostendi: reli-
qua tu pro tua prudentia cōsiderabis. Me tamē uelim
quod ad tēpus te expectemus, certiorē facias. Vale.

Collatione declarat Marcellus suam erga Ciceronem
uoluntatem, & quod consilio Ciceronis acquiescere uelit,
significat.

M. Marcellus M. T. Ciceroni S. P. D. 53.

Responso-
ria ad hor-
tatoriā. Cas-
præ bene-
uolentiam
ab autorita-
te Cicero-
nis, qui in
omni re as-
pud se plu-
rimum ua-
luerit, adeo
ut quod fra-
ter ab ipso
impetrare
non pote-
rat, Cicero

Plurimum ualuisse apud me tuam semper autori-
tatem, quum in omni re, tum in hoc maximē ne-
gocio potes existimare. Quū mihi C. Marcellus fra-
ter amantissimus mei, non solum consilium daret, sed
precibus quoque me obsecraret: non prius mihi persua-
dere potuit, quàm tuis est effectum literis, ut ute-
rer uestro potissimum consilio. Res quemadmodum
sit acta, uestre literæ mihi declarant. Gratulatio tua
etsi est mihi probatissima, quod ab optimo sit animo:
tamen hoc mihi multo iucundius est, & gratius, quod
in summa paucitate amicorum, propinquorum, ac
necessariorum, qui uerē meæ salutis fauerent, te cupi-
dissimum mei, singularemque beneuolentiam mihi præ-
stitisse

stitisse cognoui. Reliqua sunt eiusmodi, quibus ego, quoniam hæc erant tempora, facile & æquo animo carebã. Hoc uerò eiusmodi esse statuo, ut sine talium uirorum & amicorum beneuolentia, neq; in aduersa neq; in secunda fortuna quisquam uiuere possit. Itaq; in hoc ego mihi gratulor: tu uerò ut intelligas homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi præstabo. Vale.

impetrarit.
Cur redire
in urbem
uelit.

Cædem Marcelli nunciat Ciceroni Sulpitius: & quibus officijs mortuum prosequutus sit declarat.

Seruius Sulpitius M. T. Ciceroni S. P. D. 54.

ET si scio non iucundissimum nuncium me uobis al-
laturum, tamen quoniam casus & natura in bo-
nus dominatur, uisum est faciendum, quoquo modo
res se haberet, uos certiores facere. Ad decimum Ca-
lend. Iunij quum ab Epidauro Piræum nauis aduectus
essem, ibi Marcellum collegam nostrum cõueni, eumq;
diem ibi cõsumpsit, ut cum eo essem. Postero die cum
ab eo digressus essem, eo cõsilio, ut ab Athenis in Boe-
otiam irem, reliquamq; iurisdictionem absoluerem:
ille, uti aiebat, supra Maias Italiam uersus nauigatu-
rus erat. Postridiè eius diei, quum ab Athenis profici-
sci in animo haberem, circiter horam decimam no-
ctis, Posthumius familiaris eius ad me uenit, & mihi
nunciauit M. Marcellum collegam nostrum post cœ-
næ tempus à P. Magio Chilone familiari eius pugio-
ne percussum esse, & duo uulnera accepisse: unum

Nunciato-
ria est epi-
stola.
Ab insinua-
tione.
Narratio.

in stomacho, alterum in capite secundum aurem: sperare tamen eum uiuere posse. Magium seipsum inter fecisse: postea se à Marcello ad me missum esse, qui hæc nuntiaret, & rogaret, uti cogerem medicos. Coegi, & euestigio eò sum profectus prima luce: quum non longè à Piræo abessem, puer Acidini obuiam mihi uenit cum codicillis, in quibus erat scriptum, paulò ante lucem Marcellum diem suum obiisse. Ita uir clarissimus ab homine teterrimo acerbissima morte est adfectus, & cui inimici propter dignitatem percerant, inuentus est amicus, qui ei mortem afferret. Ego tamen ad tabernaculum eius perrexi, inueni duos libertos, & pauculos seruos: reliquos aiebant profugisse, metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset. Coactus sum in eadem illa lectica, qua ipse delatus eram, meisq; lecticarijs in urbem eum referre: ibiq; pro eacopia, quæ Athenis erat, funus ei satis amplum faciendum curauim. Ab Atheniensibus locum sepulture intra urbem ut darent, impetrare non potui, quod religione se impediri dicerent, neq; tamen id antea cuiquam concesserant. Quod proximum fuit, ut in quo uellemus gymnasium, eum sepeliremus, nobis permiserunt. Nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasium Academiæ locum delegimus, ibiq; eum combustimus: posteaq; curauimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. Itaque, quæ nostra officia fuerunt, pro collegio & propinquitate, & uiuo & mortuo omnia ei præsti-

Amplificatio cædis Marcelli, à persona eiusdem.

A persona interfectoris.

Epilogus.

præstitimus. Vale. Datæ Piræi, Calen. Iunij Athenis.

Consolatur Figulum quòd patria careat, & officium illi suum apud Cæsarem promittit.

M. T. Cicero, Nigidio Figulo S. P. D. 55.

Quærenti mihi iam diu, quid ad te potissimum scriberem, nō modò certa res ulla, sed ne genus quidem literarum usitatum ueniebat in mentem. Vnam enim partem & consuetudinem earum epistolarum, quibus secundis rebus uti solebamus, tempus eripuerat, perfeceratq; fortuna, ne quid tale scribere possem, aut omnino cogitare. Relinquebatur triste quoddam & miserum, & his temporibus consentaneum genus literarum. Id quoq; deficiebat me, in quo debeat esse, aut promissio auxilij alicuius, aut consolatio doloris tui. Quod pollicerer, non erat: ipse enim pari fortuna abiectus, aliorum opibus casus meos sustentabam, sæpiusq; mihi ueniebat in mentem queri quod ita uiuerem, quàm gaudere quod uiuerem. Quanquam enim nulla meipsum priuatim ꝑepulit insignis iniuria, nec mihi quicquam tali tempore in mentem uenit optare, quod non ultrò mihi Cæsar detulerit: tamen nihilominus eis conficior curis, ut hoc ipsum, quod maneam in uita, peccare me existimem. Careo enim cum familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut distraxit fuga: tum omnibus amicis quorum beneuolentiam nobis conciliarat per me quondam te socio defensa Respu. uer-

Epistola est consolatoria. Exorditur Cicero à querela, quod sibi nec festiua epistola, nec lamentatoria uti liceat. Querela de calamitatibus & infortunijs suis cum amplificatione. ꝑ perculit, alij perpulit. Sed quia & perpulit apud Ciceronē aliquoties inuenitur, non putarim aliter legendum.

Amplifica-
tio ab indi-
gnitate.

Propositio
consolatio-
nis.

Congeries
argumento-
rum.
Auarijs re-
bus conso-
latur per
occupatio-
nem.

forq; in eorum naufragijs, & bonorum direptioni-
bus: nec audio solum, quod ipsum esset miserum, sed
etiam idipsum uideo: quo nihil est acerbius, eorum
fortunas dissipari quibus nos olim adiutoribus illud
incendium extinximus: & in qua urbe modò gratia,
autoritate, gloria floruius, in ea nunc ijs quidem
caremus omnibus. Obtinemus ipsius Caesaris sum-
mam erga nos humanitatem, sed ea plus non potest,
quàm uis, & mutatio omnium rerum, atque tempo-
rum. Itaq; orbus his rebus omnibus, quibus & natu-
ra me, & uoluntas, & consuetudo assuefecerat: quum
ceteris, ut quidem uideor, tum ipsi mihi displiceo.
Natus enim ad agendum semper aliquid dignum ui-
ro, nunc non modò agendi rationem nullam habeo,
sed ne cogitandi quidem: & qui antea aut obscuris
hominibus, aut etiam fontibus opitulari poteram,
nunc P. Nigidio uni omnium doctissimo & sanctissi-
mo, & maxima quondam gratia, & mihi certè ami-
cissimo, ne benignè quidem polliceri possum. Ergo
hoc ereptum est literarum genus. Reliquum est, ut
consoler, & asseram rationes, quibus te à molestijs
coner abducere. At ea quidem facultas uel tui, uel al-
terius consolandi in te summa est, si unquam in ullo
fuit. Itaque eam partē, quæ ab exquisita quadā ratio-
ne & doctrina proficiscitur, non attingā: tibi totā re-
linquā. Quid sit forti & sapienti homine dignum,
quid grauitas, quid altitudo animi, quid acta tua uita,
quid studia, quid artes, quibus à pueritia floruisti, à
te flagi-

te flagitēt, tu uidebis. Ego quod intelligere et sentire
 possum, quia sum Romæ, & quia curo, attendoq; id
 tibi affuero, te in istis molestiis, in quibus es hoc tem-
 pore, non diutius futurum: in ijs autem, in quibus
 etiam nos sumus, fortasse non semper fore. Videor
 mihi perspicere primum ipsius animum, qui pluri-
 mum potest, propensum ad salutem tuam. Non scri-
 bo hoc temerè: quò minus familiaris sum, hoc sum
 ad inuestigandum curiosior. Quò facilius quibus est
 iratior, respondere trislius possit: hoc est adhuc tar-
 dior ad te molestia liberandum. Familiares uerò eius
 & ij quidem, qui illi iucundissimi sunt, miserabiliter
 de te & loquuntur & sentiunt. Accedit eodem uul-
 gi uoluntas, uel potius consensus omnium, etiam illa,
 quæ minimum nunc quidem potest (sed possit necesse
 est) Respub. quoscunque uiros habebit, ab ijs ipsis,
 quibus tenetur de te propediem (mihi crede) impe-
 trabit. Redeo igitur ad id, ut iam tibi etiam pollicear
 aliquid, quod primò omiseram. Nam & amplectar
 eius familiarissimos, qui me admodum diligunt, mul-
 tumq; mecum sunt: & in ipsius cōsuetudinem, quam
 adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo: & certè
 omnes uias persequar, quibus putabo ad id quod uo-
 lumus, peruenire posse. In hoc toto genere plura fa-
 ciam, quàm scribere audeo. Cetera quæ tibi à mul-
 tis prompta esse certò scio, à me sunt paratissima. Ni-
 hil in re familiari mea est, quod ego malim meum es-
 se, quàm tuum. Hac de re, & de hoc genere toto, hoc
 scribo parcius, quòd te, id quod ipse confido, sperare

A tēporis
 breuitate,
 quo Figu-
 lus in mole-
 stijs tuisset.

Occupatio
 obiectio-
 nis.
 A fauore
 familiaris
 Cæsaris.

A uulgi uo-
 luntate &
 consensu.

Correctio
 superioris
 epistolæ.
 A suo stu-
 dio.

A sua ope-
 ra paratis-
 sima.

Conclusio
ab horta-
tione &
obsecratio-
ne.

malo te esse usurum tuis. Extremum illud est, ut te horter & obsecrem, animo ut maximo sis: nec ea solum meminervis, quæ ab alijs magnis uiris accepisti, sed illa etiam, quæ ipse ingenio studioq; peperisti, Quæ si colliges, & sperabis omnia optime, & quæ accident, qualiacunque erunt, sapienter feres. Sed hæc tu melius, uel optime omnium. Ego quæ pertine re ad te intelligam: studiosissimè omnia diligentissi- meq; curabo, tuorumq; tristissimo meo tempore me- ritorum erga me memoriam conseruabo. Vale.

Gratulatus Cicero Plancio fuerat, quod dignitatem pristinam apud Cæsarem retineret, quod certis de causis negat Cicero, sed alteram gratulationem iustam habet. Postremo officium suum Plancio commendat.

M. T. Cicero, Cn. Plancio S. P. D. 56.

Responso-
ria ad gra-
tulatoriam
Exorditur
à repetitio-
ne eorum
quæ Plan-
cius ad se
scripserit.

Respondet
gratulatio-
ni.

Binas à te accepi literas Corcyrae datas: quarum alteris mihi gratulabare, quod audisses me meam pristinam dignitatem obtinere: alteris dicebas, te uelle, quæ egissem, bene & feliciter euenire. Ego autem si dignitas est bene de Rep. sentire, et bonis uiris probare, quod sentias, obtineo dignitatem meam: sin autem in eo dignitas est, quod sentias aut re efficere, si possis, aut deniq; libera oratione defendere, ne uestigium quidem ullum est reliquum nobis dignitatis: agiturq; præclare, si nosmetipsos regere possumus, ut ea quæ partim iam adsunt, partim impendent, moderate feramus: quod est difficile in eiusmodi bello, cuius exitus ex altera parte cædem ostendat, ex altera ser-

ra seruitutem. Quo in periculo nonnihil me consolatur, quum recordor hæc me tum uidisse, quum secundas etiam res nostras, non modò aduersas pertimescebam, uidebamq; quanto periculo de iure publico disceptaretur armis. Quibus si uicissent ij, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus, accesseram: tamen intelligebam & iratorum hominum, & cupidorum, & insolentium, quàm crudelis esset futura uictoria: sin autem uicti essent, quantus interitus esset futurus ciuium, partim amplissimorū, partim etiam optimorum, qui me hæc prædicentem, atque optimè consulentem saluti suæ, malebant nimium timidum, quàm satis prudentem existimari. Quòd autem mihi de eo, quod egerim gratularis, te ita uelle certò scio: sed ego tam misero tempore nihil noui consilij cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quàm Remp. offendissem. Quibus enim pro meis immortalib. beneficijs charissima mea salus, & meæ fortunæ esse debebant, quum propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidijs uacuum uiderem: nouarum me necessitudinum fidelitate, contra ueterum inimicorum perfidiam munendum putauì. Sed de nostris rebus satis, uel etiam nimium multa. De tuis uelim ut eo sis animo quo debes esse: id est, ut ne quid tibi præcipuè timendum putes. Si enim status erit aliquis ciuitatis, quicumque erit, te omnium periculorum uideo expertem fore. Nam alteros tibi iam placatos esse intelligo, alteros nunquàm iratos fuisse. De mea autem in te uoluntate sic

Respondet
alteri gratulationi, et
cur ad Placitum per
matrimonium affinitatem contrahere uoluerit, explicat.

Correctio.

A sua uoluntate

tate erga
Plancium.

Conclusio.

uelim iudices, me quibuscunque rebus opus esse intelligam : quanquam uideam quis sim hoc tempore, & quid possim : opera tamen & consilio, studio quidem certè, rei, famæ, salutis tuæ præsto futurum. Tu uelim & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quam diligentissimè certiore. Vale.

Monet Plancium ut publicas calamitates, quemadmodum cæteri, fortiter ferat.

M. T. Cicero, Cn. Plancio S. P. D. 57.

Monitoria
est epistola.

Exorditur
ab hoc,
quo Plancius
ad eum
scripserat.
Propositio
hortationis.

Epilogus.

A Ccepi perbreueis tuas literas, quibus id quod scire cupiebam, cognoscere non potui : cognoui aut id, quod mihi dubium non fuit. Nam quam fortiter ferres communeis miseras, non intellexi : quam me amares, facile perspexi, sed hoc sciebam : illud si scissem, ad id meas literas accommodassem. Sed tamen etsi antea scripsi, quæ existimaui scribi oportere : tamen hoc tempore breuiter commonendum putavi, ne quo periculo te proprio existimares esse : in magno omnes, sed tamen in communi sumus. Quare non debes aut propriam fortunam, aut præcipuam postulare, aut communem recusare. Quapropter eo animo simus inter nos, quo semper fuimus. Quod de te sperare, de me præstare possum.

Vale.

M. T.